

ronis, aliorumque. Fuere & imbrices ita inscripti: *Ex Germ. Inf.* cum numis Imper. Domitiani, Germ. Col. 12. item Nervæ, Trajani, Tiberii, Claudii, Anastasii. Cessit postea locus Vestalibus virginibus, quibus bello exactis omnia diruta sunt. Sustinuit hæc urbs, an. M D LXXIV, gravem & memorabilem obsidionem, fame, diffidiis, morbis intus grassantibus, foris castellis, arcibusque plurimis arcte clausa, sed divina ope, immisso per aggeres Mosæ mari, ventisque aquas huc devolventibus, miraculo liberata est. Quare & propter belli gloriam, & antiquitatis decora, & loci situm, amœnitatemque, Academiæ privilegio donata est, cujus nomen clarissimorum professorum eruditione, studiosorum numero, Curatorum & Consulium autoritate, Ordinumque liberalitate, jam toto orbe celebratissimum est. Huic accessit Ill. Ord. magnificentia exstructum Collegium Theologicum. Urbem hanc his versibus celebravit C. Barlaeus:

*Crevit ab Ausoniis olim mihi fama triumphis,  
Et victrix de me præmia Roma tulit.  
Reddidit ereptos fugiens Hispanus honores,  
Dum pro me totus militat Oceanus.  
In me terra famem, querulos discordia cives,  
Et falces acuit mors furibunda suas.  
Vix nocuit securus Iber, quas struxerat arces,  
Deserit, & pavidos excipit unda pedes.  
Dum patriæ pars magna perit, conservor ab illa.  
Totaque ne pereat, sic periisse cupit.  
Nunc mihi Apollineos meruit fors ista recessus,  
Martiaque imbellis mœnia Phœbus habet.  
Præ lituis pax alma placet; præ milite Pallas;  
Linguaque Romanos apta referre modos.  
Sit bellum sensisse satis, jam prælia dicto,  
Et mea facundis vocibus arma lego.  
At mihi plus debet pietas: dum pellitur exul  
Flandria, & hoc gaudet videre tuta sinu.  
Hospitium cum dem profugis, atque ocia Musis,  
Vis dici doctam me magis, ane piam?*

Pagi.

Sunt autem in Rhénolandia tractu pagi quinquaginta septem, quorum pleriq; agrestes suas opes in urbem Leidam venales important, unde summa hic rerum è terra nascentium copia, sicut & maris vicinitas maximam ei supeditat marinorum piscium copiam. Maxime vicini pagi sunt: Wassenaria, Rhénoburgum, Valkenburgum, Catwicum ad Rhenum, Catwicum ad Oceanum, Nortwicum littorale & mediterraneum, Oostgeesta, Warmonda, Voorhouta, Leyderdorpia, Coudekerka, Voorfchota, Soeterwouda. Arces proximiores urbi sunt: Warmonda, Bochorsta, Doesa, Poelgeesta, Sweta, Cronestena, Sudovica, Engeesta, Roomburga, prorsus diruta, Rosenberga, Santhorsta, Duvenwoorda, Rucopia, Wingarda. Olim & hæ fuerunt: Alcmada, Boshusia, Ceubela, Berendrecht, Torenvlieta, Sonnevelta, & Teilinga domus, nuper restaurata. Iugera agrorum ambitu suo complectitur LXXX millia, quæ singula quotannis censum solvunt in faciendis impensis

Ingera quot  
contineat  
Rhénolan-  
dia.

Belgica.

publicis ad aggerum securitatem, & aquarum tempestivas exaggerationes.

Facit & huc *Woerda*, Leida dissidens milliarius quinque, oppidulum non inelegans, arce valida munitum, ad Rheni alveum: nec non *Oudewatera*, ad Isalam, ubi ingens vis laudatissimæ cannabis colligitur. Vnde quidquid fere rudentum & retium ad maximas illas Hollandorum, Zelandorumque piscationes requiritur, solet elaborari, quæ tanti momenti res est, ut in ea consistat fundus & columen fortunarum ejus. Pertinent etiam ad Rhénolandiam Caninefates, qui hodie Kennemarii, quorum metropolis *Harlemum*. Urbs ædificiorum cultu, amplitudine, situs amœnitate & oportunitate, cæli denique salubritate inter primas censenda. Ager quippe illius editior, & à lacuum marisque offensa secretus. Templum habet pulcherrimum, architectorum judicio, quod foro spatiosissimo imminet. E regione Curia est, operis haud vulgaris. Urbem interlabitur Spara, olim è Rheno corrivatus, sed qui jam ex immenso lacu incrementum accipit. Ante urbem amœnissimus lucus est, civium voluptati & juventutis exercitiis dicatus. Linearum telarum candoris & tenuitatis eximæ, aliorumque pannorum textura satis celebris est urbs, & populosa admodum, ob advenarum numerum: magno quippe incolarum numero aucta est, postquam Hispanus Flandria & Brabantia potitus est: ita ut superioribus annis hic supra viginti quinque millia hominum numerata fuerint, eorum qui & sexagenariis minores erant, & tamen pubertatis annos egressi, qui artes varias mechanicas & mercaturam exercent. Quo factum est, ut non modo ædes, superioris belli clade incendio deformatae aut collapsæ, pulchrius longe reedificatae fuerint, sed etiam omnibus locis vacuis eleganter superstructum sit. Muro lateritio cincta est utrinque firmo, & fossa satis lata. Abest ab Oceano circiter v mill. passuum, qui marinorum piscium genus omne abunde subministrat. Ad Euronotum lacus est amplissimus, *Harlemensis* dictus, versus Aquilonem sinus *Yæ*. Exstructa creditur urbs à Frisiis, circiter annum DVI. Arcem habuit non procul ab Heemsckerka, quæ nunc diruta, soloque æquata est, quum ejus arcis dominus vi & effrenata violentia justum in se populi odium concitasset: quo tempore memorabile fertur accidisse conjugalis amoris documentum; nam quum jam deditio pararetur, fertur uxor tyranni ad eam cum hoste pactionis formulam descendisse, ut semel exportandi sibi, quæ charissima haberet, daretur facultas: quo concesso, maritum bajulans exportavit, pari laude efferenda; cum Guelphi Bajoariæ ducis pientissima uxore. Huic urbi inventæ typographicæ artis laus debetur. Ante annos enim ducentos & plures Laurentius Iohannis æditus, qui in ædibus satis splendidis foroquæ imminetibus, è regione palatii

Woerda.

Kennemer-  
landia:  
Harlem.

R i

latii